28018/P

C XII
18/h

CVRAE SANITATIS PVBLICAE APVD VETERES EXEMPLA

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

AVCTORITATE

A. D. XXV. AVGVST. CIↃIↃCCLXXIX.

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT

M. ERNESTVS BENI. GOTTLIEB HEBENSTREIT

MED. BACC.

ADSVMTO SOCIO

CHRISTIANO GOTTHELF FRIDERICO WEBEL

MED. BACC.

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA.

1779.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO

SVMME REVERENDO EXCELLENTISSIMO

IOANNI ADOLPHO SCHARF

S. S. THEOL. DOCTORI AD AEDEM D. THOM. ARCHIDIACONO

VIRO

SVMME REVERENDO EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO

IOANNI GOTTLIEB BOSSECK

A. A. M. S. S. THEOL. BACC.
CAPITVLI WVRCENENSIS CANONICO LINGV. HEBR. PROF.
PVBL. COLL. MAI. PRINCIP. SODAL. SOCIETAT.
PHILOBIBL. ET CONCIONATOR. MAI.
PRAESIDI

VIRO

EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

IOANNI CHRISTIANO HEBENSTREIT

MED. DOCT.
MEDICO LIPSIENSI CELEBERRIMO

VIRIS

DE

ECCLESIA LITERIS ET SALVTE PVBLICA

OPTIME MERITIS

OB

SANGVINIS NECESSITVDINEM

FAVOREM INSIGNEM

BENEFICIA CONSILIA SALVBERRIMA

PIE VENERANDIS

HVNC QVALEMCVNQVE LIBELLVM

PERPETVAE PIETATIS PIGNVS

LONGAEVAM FELICITATEM APPRECATVS

OFFERT

M. ERNESTVS BENIAMIN GOTTLIEB HEBENSTREIT.

CVRAE
SANITATIS PVBLICAE APVD VETERES
EXEMPLA

§. I.

Inſtituti Ratio.

Multi ſunt, qui ſcripturi aliquid, de arctis, quibus mens humana continetur, limitibus conqueri nunquam praetermittunt, ſiue, quod ignorantiae ſuae excuſationem in communi quaerant miſeria: ſiue, quod vere docti, vaſtiſſimumque ſcientiae campum ingreſſi in medio conſiſtant itinere, quantumque ad illud conficiendum ſibi reſtet intelligant. Atque hi quidem ſuo omnino iure vitae breuitatem, vanitatem ſcientiarum, humanaeque intelligentiae exilitatem deplorant, vſu experti, quae in arte quauis inuenta ſint, quae lateant, quantulumque per aetatis fugacitatem et corporis animique vires diſci queat. Illi vero, qui ne in limine quidem ſcientiae conſtituti viae moleſtias anguſtiasque crepant, male ſuam ignorantiam diſſimulant. — Equidem ſcribendi periculum facturus, non generis humani ſed mei ingenii infirmitatem profitebor, ſi forſan errores in diſputatione mea commiſero. Cogitent, qui libellum ad manus ſument, a iuvene ſcriptum eſſe, neque poſſe ab ea aetate noua inuenta expectari. Quemadmodum enim, niſi qui omnia, quae ad agrorum culturam pertinent, probe cognita habeat, nemo in hoc genere noui quid excogitare poteſt; ita quamcunque artem nouis inuentis locupletare conſtitueris, eam te penitus antea perſpexiſſe oportet. Malui proinde quaedam a viris doctis iam conſignata literis retractare et colligere, nouoque, ſi fieri poſſet, ordine diſponere, quam iactato nouitatis no-

mine eruditionis ſpeciem affectare. Videbatur autem huic conſilio optime conuenire argumentum ex hiſtoria medicinae petitum. In eiusmodi enim argumento inuentionis quidem opportunitas nulla datur, ſuppetit tamen multiplex occaſio, quid de placitis doctorum hominum ſentias ipſe, dicendi. Atque ſic demum hiſtoriam medicam vtilitate maxima ſe commendare arbitror, ſi, quae, quibuſue rationibus ducti omnium aetatum medici ſtatuerint, probe diſcas; ſi non inventa modo ipſa ſed occaſiones inueniendi perſpectas habeas: ſi denique, medicorum innumera et toto ſaepe coelo inter ſe diſtantia decreta in vna quadam continua ſerie propoſita intuens, quid ex his omnibus rerum naturae maxime ſit congruum, diſquiras. Sicuti enim ingenuae artis medicae comes fidiſſima eſt philoſophia, ita inprimis neminem ea deſtitui oportet, qui in ediſcenda medicinae hiſtoria velit proficere. Illa enim ad indagandas et diiudicandas rerum cauſas ducimur, ſine quarum cognitione incerta et vana omnis eſt ſcientia. Quae cum animo perpenderem ex vniuerſo hiſtoriae medicae ambitu eam partem decerpendam eſſe putaui, quae vinculo mutuo cum philoſophia coniuncta eſt, ita, vt quantum haec illi, tantum huic illa ſit auxilio. Quid vero ſapientum ſtudio dignius, quid vtilitate praeſtantius, quam cognoſcere, quibus modis ſalus ciuium iuuari ſtabilirique poſſit? Cumque niſi praeter mores, valetudini etiam conſulatur, mox detrimentum capiat respublica, eiusque vires eneruatis quaſi artubus concidant, neminem dubitare poſſe arbitror, quin magnum ſalutis publicae praeſidium in legibus et conſuetudinibus ſit ciuium valetudinem ſpectantibus. — Haec talia mecum perpendens a meo ſcribendi conſilio haud alienum eſſe putaui, *nonnulla antiquae in ſanitate publica tuenda curae ſpecimina* proponere. Ex eiusmodi enim diſputatione vtrisque meis praeceptoribus, tam medicis quam philoſophis, conſtare poſſe videbatur, quo ſucceſſu ipſorum ſcholis interfuerim.

§. II.

§. II.

Quid ſit ſanitas publica, et quando primum de illa ordinanda homines cogitauerint.

Sanitas publica eſt hominum in ſocietate viuentium ſanitas, rerum, quibus ad ſuſtentandam ſuauiterque ducendam vitam omnes in ciuitate vtuntur, ſalubritate promouenda. Hinc nemo erit, quin me etiam non monente intelligat, homines extra ſocietatem viuentes publica bona ignoraſſe. Singulus quisque enim peculii tantum curam gerebat. Quapropter nulla tunc eſſe poterat de ſanitate publica ſollicitudo; ſed ſi quid alicui nocuiſſet, id ille poſtmodum a natura doctus fugiebat, vel ſi grandius malum inuaſiſſet, recuperandae ſanitatis praeſidia ipſe ſibi meditabatur et conquirebat. [a]) Hominibus vero poſtmodum in ciuitates congregatis, bonisque omnibus, quae ſinguli poſſederant antea, in rempublicam vſumque communem nunc conuerſis, ſingulorum quoque experientia publici iuris facta eſt: atque ex his quae priuato cuique in victus ratione aut conduxerant, aut nocuerant, normam aliquam ſanitatis publicae adminiſtrandae ciuitatum conditores inſtituerunt. Atque huius conſilii ineundi eo maior erat neceſſitas, quo plura morborum genera tunc primum nata eſſe videntur. Quemadmodum enim haec communis eſt mortalium conditio, vt nullo commodo, absque alicuius moleſtiae comitatu fruantur, ita quoque denſum malorum agmen ſalutem hominum ex eo tempore inuaſit, quo ſocialem vitam ingreſſi ſunt. Certum quidem eſt, hominum extra ſocietatem viuentium corpora morborum moleſtia non prorſus carere; quisque tamen naturae humanae bene gnarus facile intelliget, ipſam rerum externarum communionem multa noua innumeris bonis mixta mala conſociatis hominibus attuliſſe.

Pro-

a) Quo pacto, quid in diaeta, ſpeciatimque in victu noxium ſit, quid ſalutare, ipſis experimentis homines dicerint, egregie exponit Auctor libri *de priſca medicina*, qui inter Hippocraticos vulgo recenſetur.

Proinde apud nonnullas gentes non legum quidem neceſſitate, ſed natura ſibi ipſa medicinam quaerente, ea, quae ſanitati, tot hoſtibus vndique circumſeptae, defendendae prodeſſe conſtaret, in conſuetudinem abierunt. Sed et legibus ſaepenumero et inſtitutis publicae ſanitati proſpectum eſt. Cumque legum conditores vix ſola adhortatione homines ad praeceptorum medicorum obſequium duci poſſe experti eſſent, mox religionis mox alio quocunque titulo ſuas leges ſanitatem tuituras propoſuerunt. Inualuit poſtea mos, quae ſanitati prodeſſent, faciendi, et quae illi nocerent, prout a maioribus acceptum fuerat, omittendi, ita vt tempore paullatim originis memoriam abolente, quae emolumenta ex eiusmodi inſtitutis prouenirent, vulgo ignoraretur. Atque huic ex lege relictae conſuetudini (erat enim illi ab initio legis auctoritas,) omnium fere populorum ſanitas publica innititur.

§. III.

Sanitatis publicae tutela quibus in rebus verſetur, eiuſdemque partes.

De ſanitatis publicae cura expoſituris nobis conſtituendum prius eſt, quibus rebus illa vel iuuari vel peſſundari poſſit. Eadem enim ſunt et ſalutis et perniciei inſtrumenta, in rerum externarum conditione poſita. Hinc tot vias eſſe apparet, quibus conſuli ſanitati poſſit, quot rerum, in quibus eſt nocendi potentia, ſunt ſpecies. Poteſt nempe vel cibus incongruus asſumi, vel potus peccare, vel aer inquinari, vel corpus immunditie neglectoue motu male haberi, vel contagium per vulgus graſſari, vel denique mores praui et libidinoſi ciuium valetudinem ſubuertere.[b]) In his omnibus ſanitatis publicae impedimentis perpauca ſunt, quae conſilio et prudentia auerti, certe

b) Cf. Medicinae forenſis ſcriptores. IO. ERN. HEBENSTREIT *Anthropologia forenſis*, Sect. I. cap. 2. CHRIST. GOTTL. LVDWIG *Inſtitutiones Medicinae forenſis*, P. I. cap. II. MAGNIF. PLAZ Diſſ. *de amoliendis ſanitatis publicae impedimentis*. Lipſ. 1771.

certe leniri nequeant. Ipſi rerum ad vitam neceſſariarum penuriae legibus inſtitutisque magiſtratuum ſubueniri poteſt. Alia non natura ſed ipſa hominum peruerſitate nocent: dum ſcilicet hi vel immodice illorum vſui indulgent, vel inepta naturaeque minus conueniente ratione iis abutuntur. — Poterit itaque triplici modo ciuium ſanitati proſpici: primo, inſtitutis publicis, quibus ea potiſſimum mala, quae ſponte ingruunt, aut remouentur aut arcentur; dein talibus quae inopiae publicae medentur: tandemque legibus prauos mores et luxuriam coercentibus. Quae omnia, etſi vulgaria et cuique nota, eo conſilio hic propoſui, vt ad ſingula priſcae ſanitatis publicae adminiſtrationis exempla facilior atque expeditior eſſet tranſitus, meliusque poſtmodum intelligeretur, num et quibus in rebus veteres legum ſapientia et ſalubritate noſtros homines anteceſſerint, quaeue noſtris temporibus melius inſtituta ſint.

§. IV.

Quae in ſanitatis publicae apud priſcas gentes adminiſtratione conſiderari potiſſimum debeant.

Quilibet, vt opinor, ex his quae monita iam fuerunt, intelliget, me, dum in huius libelli titulo de populorum antiquorum in tuenda ſanitate publica ſollicitudine me acturum eſſe fuerim pollicitus, non ad leges tantum reſpexiſſe, ſed in vniuerſum ea quoque omnia ante oculos habuiſſe, quae ſola conſuetudine non legibus introducta fuerunt. Sunt enim in ciuili ſocietate multa, quae, licet inueterato vſu ſtabilita, nulla vnquam lege aut imperata aut vetita fuerunt. Quorum cauſas et origines inueſtigare tunc potiſſimum eſt difficile, ſi ab aetate noſtra magno temporum interuallo diſtant. Quo factum eſt, vt ſaepenumero, qui priſcarum gentium res geſtas atque mores explicare et a primis quaſi fontibus repetere conati ſunt, egregie decepti fuerint, ſiue, quod illorum temporum hiſtoriam ex aetatis ſuae moribus aeſtimauerint, ſiue, quod opinionem aliquam animo ſemper obuerſantem ad

omnia transferentes ingenio nimium indulſerint. [c]) Quapropter, ne ipſe ego varios populorum antiquorum ritus, quos disquirere animus eſt, perperam ſanitatis publicae curae immiſceam, ſedulo circumſpiciendum erit. — Omnem autem orationis ordinem a rebus ipſis, quibus publica ſanitas innititur, repetam, ita, vt ab antiquiſſimis temporibus populisque, Iudaeis et Aegyptiis, ordiar, et in Graecorum ac Romanorum veterum, quae huc ſpectant, inſtitutis, deſinam. Etſi vero librum in quo nil deſit, ſcribere nolo, ſed quaedam ſaltim ſpecimina colligere; anguſti tamen, quibus hoc genus diſſertationum academicarum circumſcribitur, limites vix paterentur me ea omnia hic exponere, quae hactenus in hoc genere conquirere potui. Neque hoc ob temporis, quo ſcribenda erat iſta tractatio, breuitatem, fieri poterat. Proinde nunc quidem nonnulla enarrabo, quae ad *victus*, *aeris* et *aquae* apud populos antiquos curam ſpectant. Reliqua in aliud tempus differo.

c) Sic v. c. non defuerunt, qui fidei Chriſtianae dogmata argumentis, quibus illa, longe firmioribus innixa, non indiget, corroborare ſatagentes, Triadis myſterium Aegyptiis iam innotuiſſe opinati ſunt, quod nempe ternarius Deorum principum apud Aegyptios numerus fuerit, aliaque eiuſdem numeri veſtigia in ſacris huius gentis occurrant. Alii, alchemiae ſtudio dediti, ludicrae vanaeque huius artis arcana fabulis poetarum obuelari ſomniaverunt.

CAP. I.

CAP. I.

DE VICTV.

§. V.

Qualis victus ratio apud primos fuerit homines. — Animalis victus, an vegetabilis naturae humanae magis conueniat?

Cibus et potus antiquiſſimis temporibus idem erat omnibus. Genus humanum enim vna quaſi familia adhuc comprehenſum rude tum erat atque artibus nondum exultum, cum ſcilicet vſu rerum artium magiſtro optimo deſtitutis varietatis victus parandae ſubſidia deeſſent. Hinc, quae facillimo negotio eſſent parabilia et ſponte quaſi eſurientibus ſeſe offerrent, illis vitam vnusquisque ſuſtentabat. Nec exigua inde veritatis ſpecies eorum accedere videtur ſententiae, qui primaeuos homines vegetabili cibo, fructibus inprimis radicibusque, veſci ſolitos fuiſſe exiſtimant — Mox, cum gens humana in dies augeretur et in populos diſtribueretur, victus iſta ratio multum a priſca ſua ſimplicitate deflexit, inuento ciborum ex regno animali vſu. Nollem tamen hoc vitio vertere mortalibus, quod neglecta illa, quam dixi, victus ſimplicitate, carnes guſtare coeperint.[d]) Eſt enim harum vſus non minus

 ac

d) Fuerunt olim multi, qui victum animalem damnarent, triplici potiſſimum argumento ſententiam ſuam defendere anniſi. Mox enim immanitatem mentemque ingratam eorum accuſarunt, qui primi animalia vel innoxia, vel adeo de hominibus egregie merita mactare auſi fuerint; mox impietatem etiam eorum exſecrati ſunt, rati, animas mutatis ſemper ſedibus per corpora tam hominum quam brutorum vagari. Tandem et de noxis ab animalium eſu tum animo tum corpori metuendis queſti ſunt; quod nempe ex eo tempore, quo illis veſci mortales aſſueuiſſent, et multi morbi corporum infractas vires inuaſerint, et homines, neglecta priſtina morum lenitate pacisque amore, in proprium genus ſaeuire coeperint — Apud Athenienſes quidem Triptolemus abſtinentiam a victu animali primus introduxiſſe fertur, teſte PORPHYRIO π. ἀποχ. ἐμψ. L. IV. c. 22. Φασὶ δὲ καὶ Τριπτόλεμον Ἀθηναίοις νομοθετῆσαι καὶ τῶν νόμων αὐτοῦ τρεῖς ἔτι Ξενοκράτης ὁ φιλόσοφος λέγει διαμένειν Ἐλευσῖνι· Γονεῖς τιμᾷν· Θεοὺς καρποῖς ἀγάλλειν· Ζῶα μὴ σίνεσθαι. Pythagoras poſtmodum hanc religionem apud ſuos re-

ac victus vegetabilis humano corpori aptus. Quid? quod ex ipſa humorum noſtrorum indole et inſtrumentorum, alimentis recipiendis et concoquendis accommodatorum, fabrica patet, a naturae conſilio victum animalem neutiquam abhorrere. [e]) Sane, qui et olim et noſtris temporibus carne veſci religioni ſibi duxerunt, non videntur cogitaſſe, quam multae ſint regiones, vbi parciſſimo vegetabilium prouentu neceſſario carnibus animalium in cibis vti incolae cogantur. [f]) Neque

reſtaurauit atque latius diuulgauit, mutuatus illam, vt videtur, ab Aegyptiorum ſacerdotibus. Quando apud Aegyptios et Gymnoſophiſtas illa recepta fuerit, non certo conſtat. Quos poſteriori loco nominauimus, Gymnoſophiſtae, in abſtinentia a carnibus animalium ipſis Pythagoreis ſeueriores fuerunt; id quod noſtra quoque aetate de Brachmanis, illorum ſucceſſoribus, ex itinerum ſcriptoribus conſtat — Caeterum illa Pythagoreorum placita fuſius expoſita leguntur apud DIOGENEM LAERTIVM. *vit. Philoſoph.* L. VIII. c. I. IAMBLICHVM *vit. Pythagorae* c. 34. 36. PORPHYR. *vit. Pythag.* c. 16. 30. ed. *Lud. Kuſteri*, vbi conferri merentur loca veterum ſcriptorum a *Rittershuſio* in animaduerſionibus ad Porphyrium allegata. Prae reliquis autem legendi ſunt, qui ex inſtituto de abſtinentia a carnibus ſcripſerunt, PLVTARCHVS *περὶ σαρκοφαγίας* L. I. II. in T. II. opp. p. 993. 996. edit. *Xylandri.* et PORPHYRIVS *περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων*, quod opus oratione ſubtili et Platonis imitatore digna ſcriptum Libriſque IV. comprehenſum ſeorſim prodiit Trai. ad Rh. 1767. cura *Iac. de Rhoer.* — Sed ne noſtris quidem temporibus defuerunt, qui victum animalem impugnarent; ex quibus COCCHIVM, CHEYNIVM et IOH. IAC. ROVSSEAV nominaſſe ſufficiat. Alii rurſus vegetabilem condemnarunt, inprimis ANDRY, TYSON et ARBVTHNOT. Cf. MACKENZIE *Geſchichte der Geſundheit.*

e) Succi carnium animalium noſtris ſunt ſimillimi, ita, vt fere nulla mutatione opus habeant, qua ad alendum fiant aptiores. Continetur etiam, ſi maſſas aequales alimenti vegetabilis et animalis inter ſe comparemus, in hoc materia alens et copioſior et denſior quam in illo. Quapropter, vt egregie monet HALLERVS, Vir immortalis, *Robur maius eſt ab eo alimento. Robur enim pendet ab eo reparato, quod eſt amiſſum, aque copia rubrorum globulorum et a tenacitate glutinis fibrarum.* Elem. Phyſiol. T. VI. p. 208. Porro et ventriculus longe anguſtior eſt homini, et coecum inteſtinum cum appendicula ſua breuius, quam in herbiuoris animalibus. Participant tamen de reliquo digeſtionis organa in homine vtrorumque, tam carniuororum, quam herbis paſci ſolitorum animalium, naturam. Bilis etiam, vt in carniuoris, amarior ſpiſſiorque eſt, quam in herbiuoris eſſe conſueuit. De his plura habet HALLERVS l. c. Cf. BVFFON *Hiſtoire naturelle* T. IV. p. 226. Verſ Germ.

f) Septentrionalium gentium plurimae, v. c. Tatari, et, qui piſcibus fere

que eſt, quod crudelitatem et immanitatem eorum criminentur, qui primi animalia mactare auſi fuerint: ſiquidem animalia ſenio confecta tanta plerumque miſeria premi conſtat, vt, ſi futura praeuiderent, matura mors ipſis videretur longe optabilior. Tanto etiam minus eſt, quod in carnium eſu iure poſſis reprehendere, quanto certius euenturum erat, vt, aucto in dies animalium numero, vel ſolus periculi imminentis metus homines ad eorum caedem citius ſeriusue impelleret. Quamobrem, etſi pro varietate coeli mox animalem mox vegetabilem victum hominibus ſalubriorem eſſe neutiquam negemus, in vniuerſum tamen vtroque vti naturae maxime erit conſentaneum; vt videantur aeque errare, tum qui ſolas carnes, tum qui ſolos cibos vegetabiles laudant. — Caeterum primos mortales crebrius ex vegetabili regno cibos petiiſſe credibile eſt, vel quod iſti in promtu eſſent et abſque moleſtia comparari poſſent, vel quod vere ſcelus eſſe putarent, animalibus lucis vſuram eripere, qua tanquam communi bono cum hominibus fruerentur. Adde, quod antiquiſſimos populos conſtet auſtrales fere terras coluiſſe: quo fiebat, vt vegetabilem victum magis appeterent, in quo et aeſtum compeſcendi et ſitim extinguendi maior virtus eſt, quam in animalium carnibus. Aucta deinceps fuit alimenti ex regno animali ſumendi neceſſitas, partim, quod agris rarius adhuc cultis, hominum et animalium perpetim creſcenti multitudini pabulum vegetabile in poſterum haud ſuffecturum eſſe videretur; partim, quod gregum paſcendarum cura magis magiſque omnes occuparet, et prout quiſque proſpera aduerſaque fortuna in hoc labore vteretur, ita opulentior pauperiorue haberetur. — Satis mature homines lacte vſos fuiſſe credibile eſt, quod alimenti genus inter animales et vegetabiles cibos medio quaſi loco conſiſtit. Ad piſces deinde ventum eſſe, praeter alios HALLERVS quoque exiſtimat,[g])

 cum

fere ſolis viuunt, Islandi, Gronlandi, Faroenſes et Lapones.

g) l. c. p. 202.

cum illi dolorem voce ſignificare et miſericordiam hominum ſic commouere nequeant. Inde et feras venari et aucupari coeperunt; poſtremo omnium animalia manſueta mactare, aut, quae nondum eſſent manſuefacta, vt cibo inſeruirent, cicurare et ſaginare didicerunt — Cum vero ſic mutato alimenti omniſque vitae genere ditiores libidini et gulae indulgere aſſueſcerent, pauperes contra et vilioris ſortis homines vitae neceſſitatum inopia premerentur, damnorum experientia docuit homines, quo ciborum genere vtendum, quoue abſtinendum valetudinis cauſſa eſſet. Poſtea illa ipſa, quae rerum vſus commendauerat, victus praecepta legum quoque ſanctio firmauit. Erat autem vel ideo eiuſmodi legibus opus, quoniam, vt paullo ante animaduerſum eſt, eo tempore fere cuncti in regionibus calidioribus degebant, vnde ſerius demum verſus ſeptentrionem digreſſi ſunt. Scilicet nemo ignorat, corpora ſub auſtrali coelo ob ſolis aeſtum perpetuum in morbos inflammatorios et putridos, quam alibi, proniora eſſe, atque illa ipſa mala grauioribus diaetae erroribus citius arceſſi. Hinc ſi vllibi, in illis potiſſimum regionibus inſtitutis legibusque opus erat, quae gulae deditorum hominum intemperantiam coercerent, ciuiumque ſanitatem a coeli inclementia defenderent. — Proinde aequos rerum iudices non miraturos eſſe exiſtimo, quod inter leges ex artis medicae regulis petitas retulerim eas, quae carnium abuſum iſtis regionibus minime conuenientem vetarent.

§. VI.

De publicis inſtitutis victus ſalubritati apud Iudaeos proſpicientibus.

Ex ſacris literis compertum habemus, Deum ipſum hominibus a diluuio ſeruatis animalium ſuffocatorum ſanguiniſque vſu interdixiſſe.[h]) Denuo poſtmodum per Moſen lex iſta reſtaurata fuit, omnis praeterea pinguedinis eſu vetito, capi-

h) *Geneſ.* IX. 4.

capitiſque ſupplicii poena propoſita. Cui legi, vt eo religioſius obtemperarent, Deus vtrumque, et ſanguinem et pinguedinem animalium mactatorum, immolari ſibi iuſſit.[i]) Praeterea a variorum animalium eſu Iudaeos plane abſtinere Deus iuſſit, eaque impura eſſe declarauit;[k]) quorum genera recenſere et taedioſum lectoribus et a noſtro conſilio alienum foret. Plerique Theologi exiſtimarunt, Deum hoc pacto, omnem, quae necti poterat inter Ebraeos vicinaſque gentes, conſuetudinem et familiaritatem intercipere voluiſſe. Neque hoc negare ſuſtineo; puto tamen aliam quoque fuiſſe harum legum vtilitatem, quod nempe valetudini publicae proſpexerint, Videtur autem in ea regione, quam Iudaei incolebant, inprimis magna fuiſſe diaetae ſeuerioris neceſſitas, ſiquidem illa feruidiſſimis ventis, ab arenoſis locis Arabiae deſertae ſpirantibus, obnoxia eſt; ita, vt, niſi frigidior aura a mari medio accedens aeſtum temperaret, nullibi foret incolarum natura in morbos inflammatorios putridoſque pronior. Fuit quidem Iudaeae cum plurimis regionibus ardore ſolis aeſtuantibus hoc commune, quod fructibus abundaret acore iucundo putridae humorum reſolutioni reſiſtentibus. Sed cum his non omne periculum poſſet auerti, niſi ex animalium carnibus ſaluberrimae tantum aſſumerentur, legislatoris ſapientiam ſatis admirari non poſſumus, qui iis maxime victus animalis generibus Iſraelitis interdixerit, quae citiore corruptione vitiantur. — Sanguis omnis in ventre difficulter coquitur, cruore in grumos aegre diſſolubiles coeunte. Putredi-

i) *Leuit.* III. 17. VII. 23 — 27. XVII. 10 — 14. XIX. 26. *Deuteron.* XII. 16. 23. 24. XV. 23.

k) *Leuit.* XI. *Deuteron.* XIV. 7. 8. 10. 12 — 19. Cf. IO. DAV. MICHAELIS *deutſche Ueberſetzung des A. T. mit Anmerkungen für Ungelehrte.* T. III. p. 127. ſeqq. *der Anmerk.* EIVSD. *Moſaiſches Recht* T. IV. §. 202. — Ea autem animalia *pura* dicuntur, quibus veſci conſueuimus: *impura* vero, quorum in cibis vſus inſolens eſt, non quae vili penduntur, aut nauſeam et faſtidium excitant. Proinde apud omnes fere gentes alia beſtiarum genera pura, alia impura eſſe conſtat, prout aliarum carnes in ciborum numero haberi, aut non haberi conſuetudine inualuit.

dinem contrahit celerrime, qua et animalium ſuffocatorum carnes ſanguine turgidae mox corrumpi ſolent — Pinguium ciborum abuſus ſanitati ſemper eſt infeſtus, quippe qui ventriculi robur infringit, coctionem ſufflaminat, rancoremque inducit, in quo difficiliorum morborum biliosorum et putridorum fomes eſt.[l]) Ex iis vero animalibus, quorum carnes Moſes ab Iſraelitarum menſis proſcripſit, pleraque aut in ſordibus et coeno pabula quaerunt, aut aliorum animantium nece viuunt. Quo fit, vt humores vtrorumque in putridam reſolutionem facile vergant. — Non opus eſt, his expoſitis, legum Moſaicarum vtilitatem fuſius laudare; ſi praeſertim hoc ante oculos ſemper habeas, illas fuiſſe naturae locorum, quae Iudaei incolebant, accomodatiſſimas.[m]) Num butyri vſus apud Iudaeos illicitus fuerit, equidem decernere non auſim, cum leges pro hac ſententia excitatas in verſione ſaltim legere potuerim. Probabilibus certe argumentis ILL. MICHAELIS affirmantium ſententiam defendiſſe mihi videtur.[n])

Poteſt denique inter leges Moſaicas, victus ſalubritati proſpicientes, ea quoque recenſeri, qua ſeminibus mixtis agros conſerere vetabatur. Etenim nulla ratione certius poterant damna e lolio annonae intermixto oriunda praeuerti.[o])

§. VII.

l) Lege diuina, quatuor pinguedinis genera recenſentur, quibus veſci nefas eſſet: adeps ſcilicet, qui in meſenterio eſt, quique renes ambit, omenti pinguedo ac denique ea, quae circa pecorum caudas haeret — Reliqui corporis pinguedo, quae vel cuti ſubſternitur, vel muſculos intercedit, in victu prohiberi vix poterat, vti recte monuit ILL. MICHAELIS. *Moſ.* R. T. IV. §. 206.

m) Adde, quod lepram aliosque morbos cutaneos Aſiae et Africae endemios ab inepta victus ratione, putreſcentibus maxime rancidiſque cibis, item ſuillae carnis vſu crebriore proficiſci multi, tum ex veteribus, tum ex recentioribus ſcriptoribus, animaduerterint; de quibus conſulantur G. G. SCHILLING, *Commentationes de Lepra*, cur. I. D. Hahn. L. B. et Trai. ad Rh. 1778. p. 19. ſqq.

n) l. c. §. 205. cf. *Exod.* XXIII. 19. XXXIV. 26. *Deuteron.* XIV. *Hoedum in matris lacte ne coquito.* [*aſſato.*]

o) *Leuit.* XIX. 19. *Deuteron.* XXII. 9. MICHAELIS l. c. §. 218.

§. VII.

Qualis fuerit victus ratio apud Aegyptios, quibusque legibus et inſtitutis circumſcripta.

Ebraeorum gentem, obſequium alias facile detrectantem, legibus Moſaicis hactenus enumeratis obtemperaſſe non mirum eſt, cum in Aegypto frugalitati, iſti regioni domeſticae, aſſuetos iamiam fuiſſe a veroſimili non abhorreat. Multa enim erant publica inſtituta apud Aegyptios, quae pariter ac illae Iudaeorum leges, ſanitati publicae patrocinarentur. De ciuium vero valetudine primos Aegyptiae gentis conditores haud parum ſollicitos fuiſſe nemo dubitabit, qui Iſidem et Oſiridem audiuerit, non modo de ſuo populo, verum etiam de vniuerſo genere humano ita bene promeruiſſe, vt poſt mortem in Deorum numero culti fuerint. p) Quicquid enim fabularum poſteritas primorum iſtorum Aegypti regum laudibus adſperſit, hoc tamen credendum eſt, fuiſſe illos ſapientes et ſalutis publicae magnopere ſtudioſos. Quos quidem gentis auctores religionis ſpecie legibus inſtitutisque ſuis auctoritatem quaeſiuiſſe exiſtimo; poſtea vero, vt fieri ſolet, hominum imperitorum ſuperſtitionem, regum ſacerdotumque calliditatem, multa, quae ad victus rationem pertinerent, legibus ſanxiſſe, et varia ciborum genera, vel improbaſſe, vel commendaſſe, quae abſque periculo omitti aut adhiberi poſſent. Patet autem ex veterum ſcriptis, Aegyptios, vti in omni cibo et potu, ſic maxime in carnium eſu, inſigni temperantia fuiſſe. q) Eaque in regione, ſolis ardentiſſimo

p) HERODOTVS. Hiſt. L. II. c. 42. p. 244. Edit. Ampl. *Reizii.* DIODOR. SIC. *Bibl. Hiſtor.* L. I. p. 23. ed. Rodom. PLVTARCH. L. *de Iſide et Oſiride*, paſſim; in T. II. Opp. Eoſdem reges pro medicae artis inuentoribus praeſulibuſque habuerunt, quod luculenter ex teſtimoniis veterum et marmoribus comprobauit CAR. FRID. HVNDERTMARK in *Exercitatione de Diis artis medicae tutelaribus apud veteres Graecos atque Romanos.* Lipſ. 1735. §. 3. 5. cf. DAN. LE CLERC. *Hiſtoire de la Medecine* T. I. L. I. c. 6. p. 15.

q) HERODOT. L. II. c. 17. DIOD. SIC. p. 73. Φασὶ γὰρ πάσης τροφῆς ἀναδοθείσης τὸ πλέον εἶναι περιττὸν ἀφ᾽ οὗ γεννᾶσθαι τὰς νόσους. PLVTARCH. l. c. PORPHYRIVS π. ἀποχ. L. IV.

mo aeſtui ſubiecta et quotannis a Nilo inundari ſolita, maximopere erat commendabilis. Nec mirum, fuiſſe hanc a victu animali abſtinentiam, tanto vt ſanctius ſeruaretur, ipſa adeo religione munitam. Primi Aegyptii animarum per corpora animalia et humana promiſcuas migrationes ſtatuiſſe videntur, [r]) quam opinionem plurimum ad coercendam carnium appetentiam pietate erga defunctos valuiſſe, ſponte intelligitur. Quamuis autem nullo tempore omnis ex animali regno cibus legibus Aegyptiacis plane interdictus fuerit, hoc tamen certum eſt, ſacerdotum familias, antiquiſſimis temporibus nullo, ſequiore aetate parco, cibo animali, vſos fuiſſe, caeterosque omnes, quicunque ſanctitatis ſpeciem affectarent, in illa potiſſimum re ad ſacerdotum exemplar vitam compoſuiſſe. Ipſis Aegypti regibus per leges ordo praefinitus erat, quem in victus ratione ſequerentur. [s]) Caeterum aliae quoque leges erant ad omnes Aegyptios pertinentes, quibus certorum quorundam animalium eſus vetabatur. Horum etiam animalium nonnulla numinum inſtar tam religioſe colebant, vt aliquod ex illis mactare vel menſis apponere capitale crimen eſſet. Inprimis tamen hoc notabile eſt, non eandem iſtius ſuperſtitionis rationem vbiuis in Aegypto obtinuiſſe. Quibus enim animalibus in vna quadam ciuitate templa dedicabantur, ea ſaepenumero alibi iugulari impune poterant, et rurſus, quae hic erant ſacra, illic inter profana recenſebantur. Cuius diverſitatis cauſſas, qui diſquirunt, ſcriptores veteres, in varias ſententias abeunt; quarum illam fateor mihi viſam eſſe veroſimillimam, quae apud DIODORVM SICVLVM et PLVTARCHVM

r) HERODOT. L. II.

s) DIOD. SIC. L. c. p. 64. τροφαῖς δὲ ἔθος ἦν αὐτοὺς ἁπλαῖς χρῆσθαι, κρέα μόσχεια καὶ χηνῶν μόνον προσφερομένους, οἴνου δὲ τακτόν τι μέτρον πίνοντας μὴ δυνάμενον πλησμονὴν ἄκαιρον ἢ μέθην περιποιῆσαι· καθόλως δὲ τὰ περὶ τὴν δίαιταν, οὕτως ὑπῆρχε συμμέτρως συντεταγμένα, ὥστε δοκεῖν μὴ νομοθέτην, ἀλλὰ τὸν ἄριστον τῶν ἰατρῶν συντεταχέναι, τῆς ὑγιείας στοχαζόμενον — Ante Pſammetichum reges nullum prorſus vinum bibiſſe, cognoſcimus ex PLVTARCHO l. c. p. 351. qui et ibidem fabuloſam huius abſtinentiae rationem affert.

CHVM legitur: voluiſſe priſcorum regum aliquem, caerimoniarum inter ſe pugnantium diſcrepantia et animorum diſſenſione, ciues ab omni ſeditione rerumque nouarum ſtudio abducere, et ſimul metum futurae alimentorum inopiae arcere. t) Nihilominus tamen in praeſenti etiam ſaluti omnium has leges proſpexiſſe exiſtimo. Rationi enim conſentaneum eſt, intra tam amplos Aegypti fines, variarum regionum incolis non idem alimenti genus conduxiſſe, legesque, dum variorum animantium vitam tuerentur, ciuibus aduerſus grauia mala praeſidium paraſſe. Id enim hodienum experientia docemur, inſignia quidem incommoda, ex multorum animalium nimia frequentia naſci; non minora vero pericula beneficio brutorum auerti. u)

Cum rerum diuinarum ſtudio Aegyptii eſſent deditiſſimi, et ſacerdotum fere arbitrio regerentur, nemo non intelligit, priuatos, ad victus ſimplicitatem, eorum, qui ſacris praeerant, imitatione, adduci potuiſſe. Hi nempe a variis ciborum generibus, e.g. carne ſuilla, v) piſcibus w) et fabis x) abſtinebant, quibus reliqui Aegyptii nonnunquam veſcebantur. In vini potu ſobrii erant, quo etiam reliquos Aegyptios rarius vſos fuiſſe legimus. y) His enim, praeter Nili aquam, [quam tamen

 obe-

t) DIOD. SIC. l. c. p. 80. PLVTARCH. l. c. p. 380.

u) Superfluum foret, exemplis huius ſententiae veritatem illuſtrare. In Aegypto (Cairi maxime) hodienum vultures necare religio eſt, quippe qui vrbium vicos a ſordibus et animalium domeſticorum cadaueribus, in plateas proiici ſolitis, purgant. V. SHAW. *Reiſen nach verſchied. Theilen d. Barbarey u. Levante* p. 386. HASSELQVIST *Beſchreibung d. aegypt. Bergfalken im* XIII. B. *d. Abhandl. d. k. Schwed. Acad. d. Wiſſenſch.* p. 203. — Apud priſcos Aegyptios eadem certe fuit ratio, cur Ibim auem et accipitres ab omni iniuria leges vindicarent. HERODOT. L. II. c. 65. 75. 76. Caeterum longe ab ea abſum opinione, omnem Aegypti in cultu animalium ſuperſtitionem ſanitatis publicae cauſſa fuiſſe inuentam; quod omnino abſurdum eſſet ſtatuere: cum multos huiuſmodi ritus ab aliis cauſis profluxiſſe Herodotus et Plutarchus teſtentur.

v) HERODOT. l. c. 47. PLVTARCH. l. c. p. 353.

w) HERODOT. l. c. 37. PLVTARCH. l. c.

x) IIDEM. ll. cc. PORPHYR. π. ἀποχ. L. IV. c. 7.

y) HERODOT. l. c. 77. PLVTARCH. l. c. PORPHYR. l. c. L. IV, 7.

obeſos reddere putabant,[z])] decoctum hordei fermentatum, ſiue zythum, quod parare Oſiris docuerat,[a]) potus erat. A pueris autem ſimpliciſſimo victus generi aſſuefiebant, adeo, vt a parentibus, non vltra viginti drachmas, pro liberorum educatione vſque ad virilem aetatem, erogatas fuiſſe, DIODORVS SICVLVS teſtetur.[b]) Quod quidem non magnopere mirandum eſt, cum Aegyptium ſolum plurimis fructuum generibus praeſtantiſſimis, paratuque facillimis exuberaſſe, notum ſit. Etenim non frumenti tantum meſſes erant laetiſſimae, verum etiam fructuum horaeorum multarumque plantarum farinoſa radice praeſtantium, ſpontaneus prouentus omnem famis metum procul abeſſe iubebat.[c]) — Intemerata vero manſit illa

IV. 7. *οἴνῳ οἱ μὲν ἐδ' ὅλως, οἱ δὲ ὀλίγιςα ἐγεύοντο, νευρῶν αἰτιόμενοι βλαβὰς, καὶ πλήρωσιν κεφαλῆς ἐμπόδιον εἰς εὕρεσιν. ἀφροδισίων τε ἔφασαν ὀρέξεις ἐπιφέρειν* — Exiſtimo tamen aliam ſubfuiſſe hanc abſtinentiam commendandi rationem. Notum eſt, ſolum in Aegypto vitium olearumqne culturae non ſatis reſpondere. Teſtantur hoc HERODOTVS l. c. 77. STRABO *Geogr.* L. XVII. Proinde, cum e republica non eſſe videretur, Aegyptios gentium externarum commerciis vti, ſub vario praetextu a vini etiam potu arcebantur, quod, cum domeſticum non ſuppeteret, forinſecus aduehi debuiſſet.

z) PLVTARCH. l. c.

a) HERODOT. l. c. *οἴνῳ ἐκ κριθέων πεποιημένῳ διαχρέωνται.* DIOD. SIC. p. 31. PLVTARCH. l. c. SVIDAS. Ζύθος· *οἶνος ἀπὸ κριθῆς γινόμενος.* Eius inuentionem l. IV. DIODORVS Baccho tribuit; quod minime mirandum eſt, cum Graeci Oſiridem pro Baccho vulgo habuerint, Iſidem pro Cerere. HERODOT. l. c. 42. 59. 144.

b) DIOD. SIC. p. 72.

c) De his vid. HERODOT. L. II. 92. DIOD SIC. p. 30. THEOPHRAST. ERES. *Hiſt. plant.* L. IV. c. 9. 10. PLIN. L. XIII. c. 11. 17. XXI. c. 15. Apud Herodotum *Byblus*, ſ. *Papyrus*, *Colocaſia* et *Lotus* recenſentur. Eadem Diodorus habet, qui praeterea *mororum* (*συκαμίνων*) *malorumque perſicorum*, a Cambyſe in Aegyptum delatorum, facit mentionem. Theophraſtus *Mnaſium*, *Sari* et *Malinathallam* adiicit. — Colocaſiae nomine proprie radix *fabae Aegyptiacae* inſignitur, cuius fructus *ciborium* eſt. ATHEN. *Deipnoſ.* L. III. c. 1. Herodotus omiſſo eius nomine ita illam deſcribit: *ἔςι δὲ καὶ ἄλλα κρίνεα ῥόδοισι ἐμφερέα, ἐν τῷ ποταμῷ γινόμενα καὶ ταῦτα· ἐξ ὧν ὁ καρπὸς ἐν ἄλλῃ κάλυκι παραφυομένῃ ἐκ τῆς ῥίζης γίνεται, κηρίῳ σφηκῶν ἰδέην ὁμοιότατον.* Ex Theophraſti autem verbis ad Ari genus pertinere apparet — *Arum Colocaſia* LINN. — *Loti* radicem *κόρσιον* dici, Theophraſtus auctor eſt. Panem ex illa conficere Iſis Aegyptios docuiſſe fertur.

illa Aegyptiorum a nobis collaudata frugalitas, vſque dum Perſae deuicto Pſammenito ſumma rerum potirentur, victosque et victores par luxuria perderet. — Priſcos enim Perſas ſobrietati non minus ac Aegyptios ſtuduiſſe, et inprimis iuuentutem ſuam, ab omnibus, cupediarum rerumque ſenſus ſuauiter afficientium, illecebris remotam, ad tenuis victus conſuetudinem traduxiſſe, e XENOPHONTE nemo non compertum habet[d]).

§. VIII.

Legum et inſtitutorum Graecorum exempla, quibus victus ſalubritati et temperantiae proſpectum fuit.

Inſigne fuit apud veteres Graecos frugalitatis ſtudium, variiſque ſaluberrimis inſtitutis illud, apud Spartanos maxime et Athenienſes, promouebatur. Quorum quidem ratio in eo potiſſimum erat, vt ſobrietate corpora robuſta laboribuſque ſuſtinendis apta euaderent. Robur corporis vero, cum abſque ſanitate nullum ſit, quilibet me etiam non monente, intelliget, in his legibus publicae quoque ſanitatis praeſidium fuiſſe.

Apud Spartanos Lycurgi legibus cautum erat, vt omnes publice coenarent, eo conſilio, vt ignominiae metu ſupprimeretur cupiditas.[e]) Erant non modo genera ciborum, verum

tur. DIOD. SIC. l. c. p. 41. Eſt *Nymphaea Lotus* LINN. — *Papyrus* et *Malinathalla* ex Cyperorum familia ſunt, haec, vt videtur, C. *eſculentus* L. ille, C. *Papyrus.* L. De Mnaſio et Sari vix quicquam decernere auſim.

d) *Cyropaed.* L. I. p. 4. *Ed. Leuncl.* *Φέρονται δὲ οἴκοθεν [εἰς τὴν ἀγορὰν ἐλευθέραν καλȣμένην] σῖτον μὲν ἄρτον, ὄψον δὲ κάρδαμον· πιεῖν δὲ, ἤν τις διψῇ, κώθωνα, ὡς ἀπὸ τȣ̃ ποταμοῦ ἀρύσασθαι.* Paullo poſt narrat, ſi venatum exeant, quicquid venando ceperint, id in obſonium iis cedere, ſin captum nihil fuerit, naſturtio veſci. Addit non incommode: *εἰ δέ τις αὐτȣ̀ς οἴεται ἢ ἐσθίειν ἀηδῶς, ὅταν κάρδαμον μόνον ἔχωσι ἐπὶ τῷ σίτῳ, ἢ πίνειν ἀηδῶς, ὅταν ὕδωρ πίνωσιν· ἀναμνησθήτω, πῶς μὲν ἡδὺ μάζα καὶ ἄρτος πεινῶντι φαγεῖν, πῶς δὲ ἡδὺ ὕδωρ διψῶντι πιεῖν.*

e) Publicus iſte conuictus, promiſcuo nomine, *συσσίτιον*, *Φιλίτιον* et *Φειδίτιον* dicebatur. V. HERODOT. L. I. 65. XENOPH. *Laced. reſp.* p. 538.

rum etiam eorundem menſurae et modi, certis quibuſdam regulis adſtricti; f) nec praeterea quid afferre cuiquam licebat, niſi venando id aſſecutus eſſet. — Apparet autem ex ciborum in *συσσιτίοις* apponi ſolitorum ratione, carnibus animalium domeſticorum vix vſos fuiſſe, quod PORPHYRIVS etiam loco infra allegato diligenter notauit. Neglectae autem Lycurgi legibus rei pecuariae rationem hanc fuiſſe reor, quod Spartanum agrum gregibus alendis non ſatis aptum eſſe intelligeret. Erat enim ille maximam partem arenoſus et ſterilis: quod naturae vitium agriculturae quidem induſtria corrigi poterat, paſcuorum vero ſpontaneum proventum vix tantum eſſe patiebatur, vt gregum alimento ſufficeret. Conſtat praeterea, eas gentes, quae rei pecuariae ſtudent, fortitudine longe inferiores eſſe his, quae agricultura aut venatione victum quaerunt. Hinc, cum in Spartanorum republica, cuius et anguſti eſſent fines, et potentioribus ciuitatibus circumſepti, hoc potiſſimum legislatori curandum eſſe videretur, vt opum indigentia, fortitudine bellica et robore compenſaretur; venationibus quidem ciues operam dare Lycurgus voluit, gregum vero curae adeo non fauit, vt etiam ex ſola agrorum menſura Lacedaemoniorum fortunas aeſtimare iuberet. g) Denique hoc quoque commodi habebat in republica iſtud inſtitutum, quod, omni luxuria remota, Spartanorum valetudo a grauioribus morbis defenderetur. Cupedias omnes ita auerſabantur, vt ingenuo homine plane indignum eſſe eorum vſum putarent. i) Multa alia erant, quae, etſi

538. PLVTARCH. *Lycurg.* in T. I. Opp. p. 46.

f) PLVTARCH. l. c. *ἔφερε δὲ ἕκαςος κατὰ μῆνα τῶν συσσίτων, ἀλφίτων μέδιμνον, οἴνου χόας ὀκτὼ, τυρȣ͂ πέντε μνᾶς, σύκων ἡμίμνεα πέντε· πρὸς δὲ τȣ́τοις εἰς ὀψωνίαν μικρόν τι κομιδῇ νομίσματος.* Eadem verba habet PORPHYRIVS *π. ἀποχ.* L. IV. 5. vterque autem, vt videtur, ex Dicaearcho Peripatetico hauſit. Diſcrepat paullulum ab hac narratione, illa ATHENAEI *Deipnoſ.* L. IV. c. 4.

g) PLVTARCH. l. c. PORPHYR. l. c. L. IV. 3.

i) Ad Lyſandrum Lacedaemoniorum ducem Ionum legati accedebant cum multis donis, inter quae, praeter alia

etſi non omnia, ſanitatis publicae cauſa inſtituta fuiſſe, facile perſuadeor, multum tamen in ea re, ipſo legislatore nil tale curante, valuiſſe exiſtimo.

Apud Athenienſes Draco et Solon vtiliſſimis legibus omnem luxuriam proſcripſerant.[k]) Ebrietatem ita auerſati ſunt, vt vinolentum principem morte mulctari iuſſerint.[l]) Amphictyon rex Athenienſium iam olim lege cauerat, ne quis meraco vino vteretur;[m]) poſtea vero conuiuiorum ſumtus Gynaeconomi coercebant, et Areopagitae.[n]) Vtplurimum autem, antiquiſſimis praeſertim temporibus, tenui victu vtebantur. Parcae carnes, ficus, mel, et caſeus lautiſſimae coenae erant fercula.[o]) Quae frugalitatis conſuetudo, quamdiu apud Athenienſes intemerata manſit, praeſtantiſſima ipſis attulit virtutis praemia, ſanitatem et robur bellicis laboribus aptum: poſtea vero, cum ſecundo Marte et naualium expeditionum fortuna partae diuitiae, priſcam ſubuerterent temperantiam, mollities et luxuria corpora animoſque ita eneruarunt, vt facili negotio reſpublica ab hoſtibus peſſundaretur.

§. IX.

Inſtituta Romanorum ad alimentorum ſalubritatem ſpectantia.

Conſtat Romanos per tria integra ſecula non alio fere cibo, quam vili pulte veſci ſolitos fuiſſe.[p]) Quod quidem fruga-

alia, bos erat et placenta. Tum ille accepto boue quaerebat, quid illud cibi genus eſſet? Cumque placentam ex amylo, melle, caſeo, et aliis hoc genus condimentis parari intellexiſſet: *ἀλλὰ τȣ̃το μὲν (εἶπε) δότε τοῖς Εἵλωσι. ἐλευθέρȣ γὰρ ȣ̓κ ἔςι βρῶμα.* AELIAN. *var. hiſt.* L. III. c. 20.

k) PLVTARCH. *Solon.* in T. I. Opp. DIOG. LAERT. L. I.

l) IIDEM. ibid.

m) ATHEN. *Deipnoſ.* L. II. p. 38. *θεσμὸν ἔθετο Ἀμφικτύων προσφέρεσθαι μετὰ τὰ σῖτα ἄκρατον μόνον, ὅσον γεύσασθαι, δεῖγμα τῆς δυνάμεως τȣ̃ ἀγαθȣ̃ θεȣ̃. τὸ δὲ λοιπὸν ἤδη κεκραμμένον, ὁπόσον ἕκαςος βούλεται. προσεπιλέγειν καὶ τȣ́τῳ τȣ̃ Διὸς Σωτῆρος ὄνομα.*

n) IDEM. L. VI. p. 245.

o) IDEM. L. IV. p. 137.

p) PLIN. L. XVIII. c. 8. VALER. MAX. L. II. c. 5. IVVENAL. *Sat.* XIV. v. 171.

A ſcrobe aut ſulco redeuntibus altera coena

Amplior

frugalitatis exemplum, nemo, quod exiſtimo, me eo conſilio adduxiſſe arguet, vt forte victus iſtam exilitatem laudarem, aut tanquam corpori noſtro maxime idoneam commendarem. Neque ita ſum

— *laudator temporis acti*

— — *cenſor caſtigatorque minorum*,

vt rem Romanam ob ſordidam hanc viuendi rationem magis tum floruiſſe opiner. Ea enim propter ſe ipſam in nulla ciuitate optabilis eſt, quamuis homines miremur et laudemus, qui illi aſſuefacti, nec vltra quid appetentes, vegeta ſanitate, iuſto corporis robore virtuteque bellica excelluerunt. Illud ſaltem huiusmodi exemplis docemur, veriſſime dici; *Naturam paucis eſſe contentam*; dummodo, nec vnam eſſe hominum omnium naturam et indolem, nec *pauci* conſtantem menſuram eſſe meminerimus. Propterea in ſingula quauis ciuitate ea frugalitas erit laudanda, quae illius ciuibus ſanitatem pollicetur conſtantem, pariterque a luxuria et ſordibus abſit. Atque ſi omnes, tum optimates, tum plebeii, eandem viuendi normam ſequuntur, non facile erit quiſquam, qui de vitae miſeria queratur — Illuſtria huius rei exempla in Romana ciuitate extiterunt. Cui non dictus M. Curius, dictator belli gloria inſignis, qui, cum Samnitum legati eum in foco rapas coquentem deprehendiſſent, aurea dona ab iis allata magnifice repudiauit? q) — Scilicet eo tempore, luxuriae ne metus quidem aderat. Sed et inſequenti aetate, cum legibus iam morum licentiae obuiam eſſet eundum, ipſa earum conditio, et diſpendii vel mediocris haud infrequens prohibitio, Romanos nondum legum omnem verecundiam et temperantiam exuiſſe oſtendit.

Aedilibus plebis hoc munus datum fuiſſe, vt victus ſalubritatem ſuis edictis tuerentur, nec morbidas carnes, aliudue genus corruptorum alimentorum, in foro rerum promercalium

Amplior et grandes fumabant pultibus ollae.

q) VALER. MAX. L. IV. c. 3.

lium venum exponi paterentur, ex aliquo PLAVTI loco colligi poteſt. [r]) Penes cenſores autem erat, epularum ſumtibus modum ponere. — Non alienum videtur a noſtro conſilio legum cibariarum nonnullas hic deſcribere. Fannii Cos. lege ante tertium bellum Punicum edictum fuit, ne quid volucrum praeter vnam gallinam, quae altilis non eſſet, aut vinum alienigenum apponeretur, nec vltra denos aſſes coenis impenderentur. [s]) Ex lege Licinia vltra carnis aridae aut lardi pondo tria et ſalſamentorum libram in quotidianis ferculis habere illicitum erat. [t]) Vt multas alias taceam leges, gulae cohibendae cauſa latas, Aemiliam, Didiam, Corneliam etc. [u]) — Semel autem quotidie veteres accumbebant, loco prandii ficubus paſſulisue paucis contenti. Bis intereſſe tricliniis, noctemque epulis protrahere ignominioſum putabant. — Neque poſtea, cum iam peregrinis diuitiis mores corrupti eſſent, leges ſumtuariae plane ſiluerunt. Sane Iulium Caeſarem, Octauiumque earum auctoritati inuigilaſſe, et alias quidem antiquas renouaſſe, alias ex integro ſanxiſſe nouimus. [v]) Auguſtus, quanquam liberalitatis inſignia ſpecimina populo dederat, nolebat tamen Romanos vini potationibus vacare. Quapropter populum, aliquando de inopia et caritate vini conquerentem, ſeueriſſima coercuit voce: *Satis prouiſum*, dicens, *a genero*

r) *Captiv. Act.* IV. *Sc.* 2:
ERGASILVS. *Tum piſcatores, qui praebent populo piſces foetidos,*
Qui aduehuntur quadrupedanti crucianti cantherio
Quorum odor ſubbaſilicanos omnes abigit in forum;
His ego ora verberabo ſirpiculis piſcariis,
Vt ſciant, alieno naſo quam exhibeant moleſtiam — etc.
HEGIO. *Euge! edictiones aedilitias hic habet quidem;*
Mirumque adeo eſt, ni hunc fecere ſibi Aetoli agoranomum!

s) PLIN. L. X. c. 50. GELLIVS *Noct. Att.* L. II. c. 24.

t) GELL. l. c. MACROBIVS. *Saturnal.* L. II. c. 13.

u) IIDEM ll. cc. PLIN. L. VIII. c. 51. 57. ALEX. AB ALEXANDR. *Gen. Dier.* L. III. c. 11.

v) SVETON. *I. Caeſ.* c. 43. *Legem praecipue ſumtuariam exercuit, diſpoſitis circa macellum cuſtodibus, qui obſonia contra vetitum retinerent, deportarentque ad ſe, ſubmiſſis nonnunquam lictoribus atque militibus, qui, ſi qua cuſtodes fefelliſſent, iam appoſita de tricliniis auferrent.* IDEM *Octau.* c. 34.

nero ſuo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines ſitirent. [w]) Nec tamen, ſub ſequentium Caeſarum imperio, luxuria ſeculi deſiit; adeo, vt Tiberius ipſe de illa coercenda propemodum deſperaret. [x]) Succeſſit aliquando feliciter principum ſtudium, quo id agebant, vt ad priſtinam temperantiam prauos ciuium mores reuocarent; ſed fruſtraneus plerumque labor fuit, cum nimis inueterata iam eſſet luxuriae conſuetudo, nec bonorum principum auctoritas, in tanta militum praetorianorum ferocia, imperii diuturnitate ſtabiliri poſſet. [y]) Hoc certe ſaepius, a multis, tam veterum, quam recentiorum ſcriptorum, animaduerſum eſt, Romanae ciuitati, donec temperantiae teneretur ſtudio, ſuam gloriam conſtitiſſe; a cuius faſtigio poſtea, ingruente morum corruptela, ſenſim ſenſimque deiecta fuit. Corpora ciuium, robuſta olim et vegeta, imbecillitas et languor, comites luxuriae et ingluuiei, inuaſerunt; et, cum debilibus parentibus nata ſoboles bellicis moleſtiis ſubeundis impar eſſet, externarum gentium auxiliis omnis imperii Romani poteſtas niti coepit. Quo factum eſt, vt barbari, diu iam Romani nomini infeſti, impune gloriam illius imminuerent, paullatimque Romanorum viribus fractis, prouincias armis occuparent.

CAP. II.

DE AQVA.

§. X.

De aquae ſalubritate in genere.

Potus naturae conuenientiſſimus, et cuiuſuis ſortis hominibus, pauperibus perinde ac diuitibus, communis, *aqua* eſt. Immo

w) IDEM. *ibid.* c. 34.

x) TACITVS *Annal.* III. 53.

y) Exemplo ſint Pertinax, Alexander Seuerus et Probus, omnes militum ſeditionibus oppreſſi, ideo, quod effuſae illorum licentiae et deperditis populi moribus frena iniicere pararent. Vid. *Scriptores rei Auguſtae minores*, in vitis ſingulorum. HERODIAN. *Hiſt.* L. II. c. 4. VI.

Immo, ne caetera quidem potulentorum genera et ciborum coctio aqua carere poſſunt. Lauationis praeterea vnicuique homini incumbens neceſſitas, aquae puritate maximopere indiget. Adde, quod a natura id quoque datum ſit aquae, vt et agitatione ſua, dum fluit, refrigeret, et exhalatis vaporibus a ſiccitate et leuitate nimia aerem tueatur. Quae conſiderantibus nobis aqua profecto non poteſt non ſingulari magiſtratuum cura digna videri. Etenim facile patet, tantum ſanitati per vitioſas aquas noceri, quantum bonae notae aquis vita omnium hominum adiuuatur. Neque in ipſis purioribus aquae generibus eadem omnium eſt integritas; ſed fontanam ſemper ſaluberrimam eſſe deprehendimus,[z]) quam deinceps, ſi virtutem ſpectas, pluuialis, niualis, glacialis, fluuiatilis et putealis ſequuntur. Omnium infima et teterrima eſt paluſtris. Cur vero ita aeſtimari aquarum debeat ſalubritas, et quomodo, quae impuriores ſunt, nocere poſſint, nolo fuſius pertractare, cum ex vulgatiſſimis medicinae diaeteticae praeceptis haec omnibus ſatis nota eſſe exiſtimem. Nec ſpeciatim omnes perſequar regulas, ſecundum quas in ciuitate aquarum cura adminiſtranda eſt; ea enim paſſim apud auctores medicinae forenſis expoſita leguntur:[a]) atque ipſe ego, (ſi de me dicere licet) alio loco breuiter hoc argumentum pertractaui.[b]) Videamus nunc potius, quomodo veteres in tuenda aquarum ſalubritate verſati fuerint, qualemque operam ducendis in publicum aquis puris impenderint. Non neglexiſſe antiquiſſimas gen-

z) HIPPOCR. *de aere aqu. et loc.* Sect. III. Opp. p. 284. VARRO *de re ruſt.* L. I. c. II. COLVMELLA *de re ruſt.* L. I. c. 5. ACTVARIVS *de Diaeta* c. 8. Plura veterum et nuperorum hac de re teſtimonia collecta reperiuntur in IO. ZACH. PLATNERI Progr. quo oſtenditur, *aquam fontanam caeteris ſalubriorem eſſe.*

a) V. PATRIS *Anthropolog. forenſ.* §. 6 — 13. LVDWIG *Inſtit. Medic. forenſ.* §. 41 — 44. Cf. HALLER *Elem. Phyſiol.* T. VI. p. 241.

b) In ea, quam ad Fratrem Optimum ſcripſi, tractatione, *de potulentorum cura in republica ad ſanitatis leges componenda* Sect. I. *de aqua* 1778.

tes aquarum curam, eius vtilitas inſignis, immo vero neceſſitas ſumma, perſuadet. Sed quibus modis apud nonnullas huic rei proſpectum fuerit, non dixerim. Sane in Moſaicis legibus, nihil, quod huc poſſit referri, inuenire potui. Fueritne apud Aegyptios commodis publicis hac parte legibus conſultum nec ne, non magis definire audeo, cum rerum Aegyptiacarum ſcriptores veteres omnes perluſtrare, ob temporis anguſtias, mihi non licuerit. Credo tamen omnino paucis legibus hanc aquarum curam publicam apud Aegyptios comprehenſam fuiſſe: cum omnem fere aquam e Nilo petere oportuerit, ob fontium inopiam fluminisque inundationes aquae ductibus moleſtas. — Hinc cum iſta pars argumenti noſtri ex Iudaeorum et Aegyptiorum hiſtoria illuſtrari nequeat, caetera, quae huc faciunt, vna ſaltem complectar ſectione.

§. XI.

Quibus legibus inſtitutisque apud Graecos et Romanos ſalubritati aquarum proſpectum fuerit.

Perpauca apud veteres auctores de legibus aut inſtitutis memoriae prodita leguntur, quibus aquarum adminiſtratio apud Graecos innixa fuit. Attica regio admodum arida erat nec fluminibus irrigua. c) Hinc puteis illi inopiae ſubuenienдum erat. De his legem tulit Solon a PLVTARCHO commemoratam d) non tam vt ſalubritati, quam vt copiae aquarum ad vſus quotidianos ſufficienti proſpiceret. Conſtat etiam ex variis

c) Id ſignificat PLVTARCHVS loco ſtatim exponendo et M. ANTONINVS τῶν εἰς ἑαυτ. L. V. c.7. Εὐχὴ Ἀθηναίων. ὗσον, ὗσον, ὦ φίλε Ζεῦ, κατὰ τῆς ἀρέρας τῆς Ἀθηναίων καὶ τῶν πεδίων.

d) *Solon.* in T. I. Opp. ἐπεὶ δὲ πρὸς ὕδωρ ὄτε ποταμοῖς ἐςὶν ἀεννάοις, ὄτε λίμναις τισὶν, ὄτ᾽ ἀφθόνοις πηγαῖς ἡ χώρα διαρκὴς, ἀλλ᾽ οἱ πλεῖςοι φρέασιν ποιητοῖς ἐχρῶντο· νόμον ἔγραψεν, ὅπȣ μέν ἐςιν δημόσιον φρέαρ ἐντὸς Ἱππικȣ̃, χρῆσθαι τȣ́τῳ· ὅπȣ δὲ πλεῖον ἀπεῖχε, ζητεῖν ὕδωρ ἴδιον. ἐὰν δὲ, ὀρύξαντες ὀργυιῶν δέκα βάθος παρ᾽ ἑαυτοῖς, μὴ εὕρωσι, τότε λαμβάνειν παρὰ τȣ̃ γείτονος, ἑξαχȣ̃ν ὑδρίαν δὶς ἑκάςης ἡμέρας πληρȣ̃ντας.

variis ſcriptorum locis fuiſſe Athenis magiſtratum aliquem aquarum curae praefectum, qui ὑδάτων Ἐπιςάτης dicebatur, atque id potiſſimum operam dabat, ne quis priuatus aquam publicam violaret, deriuaret, olidamue redderet. [e])

Apud Romanos quae obtinuit aquarum curatio, longe vberiorem dicendi materiam praebet. Hos enim ab antiquiſſimis inde temporibus, vt quam puriſſimae et ſaluberrimae aquae ciuitati ſuppeterent, legibus effeciſſe, nulliſque in ea re ſumtibus peperciſſe, et literarum monumenta, et aquaeductuum eximiae reliquiae hodienum teſtantur. Ex his nonnulla iam proponere liceat. — Aquam Marciam primus in vrbem duxit Ancus Marcius, vnus e regibus, poſtea Q. Marcius Rex in praetura. Rurſus reſtituit Marcus Agrippa, qui et Virginem adduxit. [f]) Appiam aquam ſibi cognominem duxit Appius Claudius Caecus, quam poſtea idem Q. Marcius Rex, vna cum Tepula et Anione veteri, a Man. Curio Dentato ad vrbem ducto, reficere a Senatu iuſſus eſt. [g]) Agrippa in aedilitate aquas omnes Romae corriuauit atque emendauit annuo ſpatio: lacus ſeptingentos fecit, praeterea ſalientes CV. caſtella CXXV. [h]) Reliquis praeſtantior fuit aquarum ductus a C. Caeſare inchoatus et peractus a Claudio. [i])

Cura aquarum diuerſis temporibus varii magiſtratus defuncti ſunt. Cenſoribus illa vt plurimum incumbebat. [k]) In-

 ter-

e) Themiſtoclem hoc munere functum eſſe auctor eſt PLVTARCHVS in eiuſd. vita p. 127. T. I. Cf. SAM. PETITI *Comment. in LL. Atticas in T. III. Iuriſpr. Rom. et Att.* p. 481.

f) PLIN. L. XXXI. c. 3. Is Marciam, quae Aufeia quondam, fons ipſe Piconia dicebatur, tantis laudibus extollit, vt *clariſſimam eſſe* perhibeat *aquarum in toto orbe, frigoris ſalubritatiſque palma*. — Habebatur etiam illa in tanto honore apud Romamos, vt Nero etiam magna aliquando inuidia apud ciues flagrauerit, *quod fontem aquae Marciae ad vrbem deductae nando inceſſiſſet, et potus ſacros et loci cerimoniam corpore toto polluiſſe videretur*, etc. TACIT. *Ann.* XIV. c. 22. De hac aqua plura vide apud SEXT. IVL. FRONTINVM *de aquaeductibus Vrbis Romae.* ed. Poleni. Art. 5.

g) PLIN. L. XXXVI. 15. FRONTINVS l. c.

h) PLINIVS. FRONTINVS ll. cc.

i) IIDEM ll. cc.

k) *Cenſores — vrbis templa, vias, aquas,*

terdum aedilibus aut quaeſtoribus data fuit. [l]) Auguſtus novum officium excogitauit *curatorum aquarum,* [m]) et iura eorum Senatusconſulto deſcripſit, quod apud FRONTINVM legitur. [n])

Nec defuerunt ſaluberrimae leges, tum aquarum iuſtae copiae per vrbem diſtribuendae cauſſa ſcriptae, [o]) tum, (quae inprimis ad rem noſtram faciunt,) cauentes, neaquae priuatorum temeritate aliquam noxam contraheret Ex his duae potiſſimum eminent, a FRONTINO ſeruatae. Altera, eademque antiquiſſima, his verbis ſcripta eſt: NE. QVIS. AQVAM. OLETATO. DOLO. MALO. VBI. PVBLICE. SALIET. SI. QVIS. OLETARIT. HS. DECEM. MILLIA. MVLTA. ESTO. [p]) Altera Quinctia eſt, Auguſto imperante lata, ex qua nonnulla verba infra deſcripſimus. [q]) Plura de aquarum publicarum ſalubritate, ab imperatoribus ipſiſque adeo aquarum curatoribus, inſequenti aetate, conſtituta fuerunt; quae, ne iuſto prolixior noſtra fiat oratio, enarrare praetermittimus, lectoribus hac de cauſa ad FRONTINVM, eiuſque commentatorem, POLENVM, amandatis.

aquas, aerarium, vectigalia tuento. — CICERO *de Legibus* L. III. ALEX. AB ALEX. l. c. L. III. c. 13.

l) FRONTINVS art. 95. 96. p. 166. Ed. *Poleni.* Cf. huius Commentar.

m) SVETON. *Auguſt.* c. 37.

n) l. c. art. 100.

o) Multa exempla apud FRONTINVM occurrunt.

p) FRONTIN. art. 97. p. 171.

q) IDEM. art. 129. p. 218. QVICVNQVE. POST. HANC. LEGEM. ROGATAM. RIVOS. SPECVS. FORNICES. FISTVLAS. TVBVLOS. CASTELLA. LACVS. AQVARVM. PVBLICARVM. QVAE. AD. VRBEM. DVCVNTVR. SCIENS. DOLO. MALO. FORAVERIT. RVPERIT. FORANDA. RVMPENDAVE. CVRAVERIT. PEIOREMVE. FECERIT. — — IS. POPVLO. ROMANO. C. MILLIA. DARE. DAMNAS. ESTO,

CAP. III.

DE AERE

§. XII.

De aeris ſalubritate in genere.

Quantum interſit reipublicae, ſalubritatem aeris intemeratam ſeruari, nemo neſcit, qui vel extremis labris artem medicam attigit. Vix enim eſt, praeter aerem, alia res vlla, quae ad vitam conſeruandam tantum valeat, quaeque facilius peſtiferam noxam contrahere poſſit. Aer enim, cum per anni viciſſitudines mutatur inſigniter, tum ſua natura peregrinarum particularum admixtionem facillime admittit, easdemque diſſolutas, vtpote tenuiſſimas, aegre dimittit. Tuetur autem vitam aer ambiens, eo, quod moleculas perſpiratione corpus egreſſas in ſe recipit, nec non a venis bibulis vna cum humoribus reſorptus et ad ſanguinem deductus, eidem rectius miſcendo attenuandoque inſeruit. Inprimis vero notabilis aeris functio eſt in reſpiratione. Exceptus enim inſpiratione et ad vaſa pulmonum aliſus, tum vi motrice, ſeu elaſticitate ſua, ſanguinem per illa manantem impellit atque exercet, tum particulas igneas a ſanguine per vaſorum oſtiola dimiſſas haurit, et, dum exſpiramus, tollit. Vnde colligitur, huic reſpirationis negotio, totiusque adeo vitae incolumitati prodeſſe eum aerem, qui quam pauciſſimis particulis alienis inquinatus et neque nimis craſſus neque iuſto tenuior ſit — Neque vero haec ita ſe habere rationibus tantum, verum vſu ipſo docemur. Earum quippe regionum incolas, quae vitioſo aere vtuntur, morbis grauiſſimis contagioſis obnoxios eſſe vitamque breuiorem tranſigere, ita notum eſt, vt exemplis rem illuſtrare ſuperfluum foret. Propterea etiam, qui in montanis locis habitant aeremque puriorem ſpirant, vegetiore valetudine gaudere conſtat, quam illos qui valles et paludoſa loca incolunt.

Quem-

Quemadmodum autem aer ipſius naturae vitio ſanitati infe-ſtus eſſe poteſt, ita aliud corruptelae genus, ex cura aquarum neglecta naſcitur. Magiſtratuum ſane diligentia in quavis ciuitate efficiendum eſt, vt naturae vitium prudenti conſilio publicisque operibus, quantum fieri poteſt, corrigatur, certe molliatur et mitigetur: deinde, vt hominum, in ſua mala veluti data opera ruentium, vecordia coerceatur et refrenetur. Cauendum itaque eſt, ne cadauerum humanorum et animalium foetor, ne paludum ſtagnantium exhalatio peſtilens aerem contaminet; ne recrementa et ſordes omnis generis in vrbium vicis diu iaceant: ne operum ſordidorum opifices, et metalla, plumbi certe, ſulphuris, hydrargyri, arſeniciue officinae, ciuium ſanitati ſua vicinia obſint. — Iam, quomodo hac aeris cura veteres defuncti fuerint, age, nunc diſpiciamus.

§. XIII.

Aeris ſalubritatem conſeruandi ratio apud Iudaeos.

Inter Moſaicas leges eae non male ad aeris ſalubritatem referri poſſunt, quae de cura mortuorum praecipiunt. Dum enim penes defunctum morantes, manibuſue cadauer contrectantes, vel tumulum aut buſtum attingentes, per ſeptiduum impuri eſſe iubebantur:[r]) neceſſe erat, funus intra ſeptimum diem efferri,[s]) cum abſque inſigni moleſtia ciuilis iſta impuritas ferri non poſſet. Praeterea, quo minus in vrbe eſſent ſepulcra, hac lege cautum eſt.[t]) — Duae adhuc leges commemorari hoc loco merentur; altera, quae cadauera ſuſpenſo-

r) Num. XIX. 11. 14 — 16. MICHAELIS. *Moſ. R.* T. IV. §. 215.

s) Mortuos in republica Iudaeorum humari ſolitos fuiſſe, ex quam plurimis S. S. locis conſtat: cremari coepiſſe ſub regibus coniici poteſt ex iis, quae de funeribus regum Iudaicorum narrantur 2. *Paralipom.* XVI. 14. XXI. 20.

t) Quod reges in vrbe ſepultos fuiſſe legimus, mirandum non eſt; ſiue hac praerogatiua vere ob eminentem dignitatem vſi fuerint, ſiue vrbis nomine ipſa pomoeria complectaris — Certe vel ex vno iuuenis Nainitici exemplo probabile eſt, funera extra vrbes elata fuiſſe. *Luc.* VIII. 12. Cf. MICHAELIS l. c. p. 306. ſqq.

penſorum ante noctem a patibulo demi imperat,[u]) altera, quae a ſacris abeſſe iubet, et conſortio cum caeteris ciuibus excludit, qui morticina tetigiſſent.[v]) Vtriuſque finis hic fuiſſe videtur, vt, remota omni putredinis materia, aer a contagionis metu immunis ſeruaretur.

§. XIV.

Apud Aegyptios.

Aegypti aer qualis fuerit, diſcrepant inter ſe auctorum ſententiae. Alii enim eius ſalubritatem ſummis laudibus extollunt; et hi fere antiquiſſimi ſunt. [w]) Alii autem, ſequioris aetatis ſcriptores, perinde ac illi, qui noſtris temporibus Aegyptum peragrarunt, regionum illarum aerem peſtilenti labe infamem eſſe arguunt. [x]) Cuius diuerſitatis equidem duplicem cauſſam eſſe arbitror. Alteram: quod Aegypti nomen non omnem ſemper, quam late patet, Aegyptum, ſed aliquam tantum eius partem ſubinde denotet; [y]) alteram: quod veroſimile videatur, Aegypto Graecorum imperio ſubiecta ac poſtea ab Auguſto in prouiuciae formam redacta, multa inſtituta ciuilia religioſasque cerimonias quae olim obtinuerant, in obliuionem veniſſe, nouis dominis vel non e re ſua eſſe exiſtimantibus illa retineri, vel vtilitatem eorumdem ignorantibus. Et ſane credibile eſt, Graecis, et poſtea Romanis Aegypto dominantibus, nonnullas etiam leges ex eorum numero abolitas fuiſſe, quae aeris ſalubritatem antea iuuerant. Referenda autem eſt inprimis ad aeris apud Aegyptios curam, cadauerum humanorum et brutorum adeo animalium pollinctu-

u) *Deuteron.* XXI. 23.

v) Crebrius repetita *Leuit.* V. 2. XI. 8. 39. ſq. *Deuteron.* XIV. 8. — MICHAELIS l. c. §. 216.

w) HERODOT. L. II c. 77. qui dicit Aegyptios *μετὰ Λίβυας ὑγιηρεστάτους εἶναι πάντων ἀνθρώπων, τῶν ὡρέων εἵνεκεν, ὅτι οὐ μεταλλάσσουσι αἱ ὧραι.* Non procul abeſſe videtur ab hac ſententia HIPPOCRATES de aer. aqu. et loc. S. 3. p. 289.

x) PLIN. L. XXI. c. 6. Aegypti aerem nebuloſum eſſe dicit — PROSPER ALPINVS *de medic. Aegypt.* L. I. c. 15.

y) HERODOTVS Delta ſolum ab Ionibus Aegypti nomine inſigniri, olim vero Thebaidem ſaltim ſic dictam fuiſſe commemorat l. c. c. 15. —

ctura. Quod ſi enim regionis illius indolem et naturam recte perpendimus, patebit certe hanc funerum curam, etſi alias et cremationi et humationi poſtponendam, in Aegypto ſola potuiſſe ſine vllo ſanitatis detrimento cadauera non humata retineri. Sepeliri enim cadauera, Nili annuae inundationes prohibebant, dum metuendum eſſet, ne, vndis in ſepulcra tumuloſque irrumpentibus, cadauerum ſemiputridorum foetor, tam aquam ipſam, quam aerem, pollueret. Cremari autem illa non poterant, cum lignorum prouentus in ea regione ſat mediocris ſit. Hinc ita oportebat funera curari, vt poſſent in oppidis, quae in collibus plerumque ſita erant, impune aſſeruari. Quod Aegyptios pollinctura aſſecutos fuiſſe ex ſcriptorum veterum monumentis conſtat. [z]) In ſale enim, quo praecipue vtebantur, vis exſiccandi inſignis eſt. Eundem vſum cedrium, aſphaltum et alia aromata praeſtant, quorum praeterea balſamicus odor plurimum ad foetorem putridum corrigendum et inuoluendum valet. Quapropter, cum ſic condita cadauera arcis ligneis incluſa in abditis domuum conclauibus haberent, quantum per regionis naturam fieri poterat, ea pericula effugiſſe videntur, ſine quorum metu illic ſepeliri cadauera non poterant. [a])

§. XV.

Apud Graecos.

Haud dubitandum eſt, Graecos etiam publicis inſtitutis id egiſſe, vt aere vterentur quam puriſſimo, etiamſi, qualia illa fuerint, dictu eſt difficile. In ſepeliendi tamen ratione aliquod huius curae veſtigium deprehendimus. Apud omnes fere Grae-

z) HERODOT. l. c. c. 86 — 88. DIOD. SIC. L. I. p. 81. PLVTARCH. *de Iſ. et Oſir.* l. c. Recenſentur etiam apud hos auctores ea, quibus cadauera repleri condirique mos fuerit. Myrrha, caſia, thus, nitrum, gummi, aſphaltum, cedrium etc. Cf. PLIN. L. XVI. c. 11. XXXI. 10.

a) Animalia, quorum cadauera condita aſſeruari ſolebant, haec potiſſimum erant: feles, canes, muſtelae, accipitres, vrſi, lupi et Ibis. HERODOT. c. 67. Boues autem et alia animalia domeſtica in vrbium pomoeriis humabantur, et aliquo tempore praeterlapſo, ſcaphis in inſulam Proſopitidem deuehebantur IDEM c. 41.

Graecos extra vrbes ſepulcra erant, ſolis forte Lacedaemoniis exceptis, quibus Lycurgus mortuos in vrbe humandi poteſtatem fecerat.[b]) Nam vt taceam Athenienſium legem, quae inhumato cadaueri humum iniicere praetereuntes iubebat, humanitate potius, quam ſanitatis publicae ſollicitudine ſuadente, latam;[c]) conſtat teſtimoniis veterum, Athenis omnia funera per portas Ἠριαῖας in communem ſepulcrorum locum vrbe elata fuiſſe:[d]) ita, vt ne eos quidem, qui vel pro patria mortem oppetiiſſent, vel alio modo de republica egregie eſſent meriti, intra vrbem ſepelire liceret; ſed in eo Ceramico, qui extra portas erat, illorum tumuli fieri ſolerent.[e]) Nolebant enim mortuos nocere ciuitati, cui, dum viuerent, praeſidio decorique fuiſſent.

§. XVI.

Apud Romanos.

Longe plura extant apud Latinos ſcriptores teſtimonia, ex quibus patet, ſedulo aeris ſalubritati Romanos prouidiſſe. Eo pertinet Tarquinii Priſci ſtupendum cloacarum publicarum opus, fornicibus ampliſſimis ſubterraneis exſtructum, ſeptem in illas corriuatis amnibus, qui ſordes eo confluentes expurgarent, eductasque ex vrbe in Tiberim deriuarent: moles ingens, fidem omnem ſuperatura, niſi admirandae eius reliquiae hodienum ſpectarentur.[f]) Duplex autem erat cloacarum vtilitas, vtraque ad aeris ſalubritatem et munditiem pertinens. Primo enim exhauſtus eſt his cauernis lacus Curtius, a priſcis inde temporibus exhalationum peſtilentia infamis. Deinde vero viarum colluuies, domuum ſterquilinia, et quidquid in plateas proiectum aerem

 inqui-

b) PLVTARCH. *in Lycurgo.*

c) AELIAN. *var. hiſt.* L. V. c. 14.

d) AVCTOR ETYMOLOGICI. Ἠριαῖαι αἱ Πύλαι Ἀθήνησι διὰ τὸ τοὺς νεκροὺς ἐκφέρεσθαι ἐκεῖ ἐπὶ τὰ ἠρία, ὅ ἐστι τοὺς τάφους.

e) IDEM δύο ἦσαν κεραμεικοί· ὁ μὲν ἔνδον τῆς πόλεως, ὁ δὲ ἔξω. ἔνθα καὶ τοὺς ἐν πολέμῳ τελευτήσαντας ἔθαπτον δημοσίᾳ. Cf. PAVSANIAS, in *Atticis.*

f) Vid. LIVIVS L. I. DIONYS. HALICARNASS. L. III. PLIN. L. XXXVII. c. 15.

inquinare potuiſſet, in concamerationes iſtas collectum, ex vrbe remouebatur. Taceo caducas aquas, ex caſtellis et manationibus fiſtularum, (vt cum FRONTINO loquar,) profluentes, quarum vſus praecipuus, tum in viis et cloacis abluendis, tum in eo verſabatur, quod illarum ope aer vrbanus refrigeraretur et agitaretur; quapropter etiam in priuatas domus derivare lege interdictum erat. g) Caeterum hoc ſalubritatem aeris conſeruandi ſtudium in aliis quoque operibus publicis apparuit. Primus Cornelius Cethegus Cos. poſtea Iulius Caeſar, Pomptinas paludes, ſed fruſtra exſiccare conſtituerant, h) partim, vt ea regio, quam ſtagnum iſtud occupabat, quaeque, ſi PLINIO fides habenda eſt, XXIII. vrbium locus olim fuerat, i) ciuibus diuidi colique poſſet, partim, vt peſtifer halitus ab accolis, ipſaque inprimis vrbe auerteretur. Proſperiore huius inſtituti ſucceſſu Auguſtus vſus eſt; poſt cuius aetatem, cum inchoatum opus ſequentes principes deſeruiſſent, totam regionem palus denuo occupauit et ſepultam ſtagnantibus aquis tenuit, donec hoc ipſo, quo viuimus, tempore, bene conſulens Romanis Pius VI. Pontifex, vel hoc ipſo famam meriturus, neglectum diu laborem, feliciter, vt fama eſt, inſtaurauit. Fucinum lacum emittere et exſiccare Iulius Caeſar pariter aggreſſus eſt; k) quod opus, ab illo non confectum, Claudius poſtmodum abſoluit. l)

Ad aeris apud Romanos curam ſepulcralia quoque inſtituta pertinent. Lex eſt duodecim tabularum: HOMINEM. MORTVVM. IN. VRBE. NE. SEPELITO. NEVE. VRITO. m) Vt cremationem cadauerum in vrbe vetarent, Decemuiros praeter foetoris vrbe arcendi conſilium, inprimis, vt CICERO monet,

g) *Caducam nolo ducere, niſi qui meo beneficio, aut priorum principum habent. Nam neceſſe eſt, ex caſtellis aliquam partem aquae affluere, cum hoc pertineat non ſolum ad vrbis noſtrae ſalubritatem, ſed etiam ad vtilitatem cloacarum abluendarum.* FRONTIN. p. 195.

h) SVETON. *Caeſ.* c. 44.

i) L. III. c. 5.

k) SVETON. *Caeſ.* 44.

l) IDEM *Claud.* c. 20. PLIN. L. XXXVI. c. 15.

m) CICERO *de Legib.* L. III.

monet, incendii periculum impulit.[n]) Sepulturae autem prohibitae triplicem rationem Cvnr. Rittershvsivs exponit,[o]) ex quibus extrema ſaltem ad nos ſpectat, ne ſcilicet tumuli foetida exhalatione aerem inquinarent. Caeterum, iam antequam lex iſta ferretur, illicitum erat, mortuos intra moenia ſepelire; niſi quibus virtutis cauſa tributum hoc fuerat: [p]) etſi non negauerim, antiquiſſimis temporibus, regum forte primorum, ciues Romanos in larariis aedium priuatarum ſepultos fuiſſe.[q])

Diu huius legis de mortuis in vrbe non humandis auctoritas ſtetit: ita, vt in fundis ſuburbanis plerumque ciues cum familia terrae mandarentur. Sequiore tempore, cum neglecta vtiliſſima lege, paſſim in vrbe cadauera ſepelirentur, in vſum illa denuo reuocata ac noua ſanctione ab Hadriano et Antoninis, Pio, et Philoſopho, ſancita eſt.[r]) Quo quidem inſtituto hoc vtique conſilium declarauerunt, vt foetor cadauerum peſtiferus vrbe exterminaretur, ne aeri noceret.

§. XVII.

E p i l o g u s.

Ne limites, quos ab initio ſtatim huic tractationi conſtitui, transgreſſus eſſe, quaeque, vt pollicitus ſum, alia occaſione exponenda erant, anticipaſſe videar, ſubſiſtendum hic mihi erit, non vt artifici, cuius operi extrema manus iam acceſſit, ſed vt tironi, qui ingentis aedificii primas lineas deſcribere tentauit. Lubens enim fateor, quod etiamſi diffiterer, eruditi

 facile

n) Hinc vetuſtiſſimis temporibus, cadauerum cremationem Romanos non omnino ignoraſſe, probabile eſt. plinivs tamen tunc demum inſtitutum fuiſſe dicit vt corpora cremarentur, *poſtquam longinquis bellis erui cognouerint. Et tamen*, pergit, *multae familiae priſcos ſeruauere ritus: ſicut in Cornelia nemo ante Syllam Dictatorem traditur crematus. Idque voluiſſe, veritum talionem, eruto C. Marii cadauere.*

o) *Commentar. in duod. tabul. Leges* Argentor. 1659. cap. III.

p) cicero. l. c. plvtarch. *Publicola* T. I. Opp. p. 109.

q) servivs in L. 5. et 6. *Aeneid.*

r) spartian. *Hadrian.* ivl. capitol. in *Antonino Pio.* p. 278. T. I. *Script. R. Aug. min.* L. B. 1671. 8.

facile intelligerent, haud pauca a me eſſe omiſſa, multa etiam curſim et tranſitorie tantum tractata. Scio praeterea, non defore, qui hoc reprehendant, quod de maiorum noſtrorum, Germanorum, inſtitutis ad ſanitatem publicam pertinentibus, nihil prorſus huic libello inſeruerim. Apud quos tamen veniam me impetraturum eſſe ſpero, ſi cogitent, iis temporibus, vnde exempla inſtitutorum publicorum, ciuium ſanitatem ſpectantium, repetere propoſitum erat, non vnam fuiſſe Germaniae rempublicam, nec ingeniis nondum excultis fieri potuiſſe, vt legibus idoneis ciuium ſanitas muniretur. Alii forte me in ſubiiciendis animaduerſionibus veterumque ſcriptorum locis nimis prolixum fuiſſe arguent. Neque inficior, in omni alio genere ſcribendi facile poſſe hanc annotationum et citationum licentiam in vitium verti, taedioque eſſe lectoribus. Putabam vero, in diſſertatione hiſtorica, et praeſertim eo conſilio ſcripta, vt ex cathedra defenderetur, adeo non debere ſcriptorum veterum auctoritatem deſiderari, vt in eorum placitis et relationibus allegandis, copioſiorem, quam parciorem eſſe ſatius ſit. — Caeterum vehementer laetabor, ſi in opuſculo hoc, licet tenui, nonnulla fuerint, quae doctis viris, iisdemque iudicibus aequis, non omnino diſpliceant. Quemadmodum enim ab his contemni ſummum eſſe duco dedecus et ignominiam; ita ab iisdem vel probari, vel certe non reprehendi, glorioſum eſſe arbitror.

COROLLARIA.

I.

Sceleribus hominum diuina maieſtas, proprie loquendo, non laeditur.

II.

Ars eſt Phyſiognomica, ſed coniecturalis. Damnanda vero non eſt, quaſi humanitati officiat et diffidentiam pariat: hoc enim omnibus fere artibus commune eſt, quod anceps illarum vſus ſit, et mox obeſſe mox prodeſſe queant.

III.

Lectio nuperrimarum fabularum Romanenſium, quarum ſcriptores animum, rerum quarumlibet grato ingratoue ſenſu facillime perfundendum, (Empfindſamkeit) *affectant, non tam humanitatis et pulcritudinis in rerum natura ſenſum acuere, quam potius obtundere videtur.*

IV.

Aeris factitii genera plurima nil ſunt, niſi vapores aeri communi admixti.

V.

Animalculo infuſoria aquae infuſorum ſunt indigena.

VI.

Nectaria plantarum fructificationi inſeruiunt.

VII.

VII.

Aether vitrioli eſt ſpiritus vini phlegmate ſuo orbatus.

VIII.

Duplici ratione corpus animale et vegetabile humorem per ſuperficiem emittit et attrahit: perſpiratione et exhalatione, reſorptione et inhalatione.

IX.

Princeps reſpirationis vſus in remouendis ex corpore particulis igneis poſitus eſſe videtur.

X.

Lepra Iudaeorum eſt Celſi vitiligo alba.